

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 58. (Neovidensis 1808. Nro. 57.)

Politica mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 29. Julii. 1808. (Neov. 12. Julii. 1808.)

Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina
tendis,
Fare quid venias, jam isthinc & comprime
gressum.

Aeneid. VI. 8. 9.

Curia in Campis Elysiis.

In luco Immortalitatis est in Elysiis ampla
Curia, in qua Manes ex superiore mundo
convenire assolent. At non omnes immor-
tales, virtute præditi sunt. Herostratus & M.
Aurelius immortales audiunt, & quantum hos
intercedit discrimen?

Datur nihilominus in eo Oecus, cum E-
pigraphæ: Honestum durat diutissime. In hoc
penetrabile Herostratis ingredi nefas. Honestate
solum præditi manes, — ex omni ordine —
venia gaudent ingrediendi. Ibi sola regnat
animi honestas, a diademate ad stivam usque.

Hesterno die 11. adpulere honestissimi
manes, ex regimine Austriaco; quippe eo-
rum semper frequentissimus numerus; quæsi-
erunt: quid Mercurius ex superiore mundo
attulerit; & sciscitabantur de nova Cosmolo-
gia, aspectus fundamentalis potentie Monar-

chiæ Austriacæ sequentes meditationes apud eos prolucit.

Augusta a quinque Seculis florens Dominus Habsburgica, quamquam procellis, Universi politicas Formas depauperantibus, potenter exagitata ad radicem usque, & nonnullo pretioso ramo orbata, adhucdum venerandissima in Europa restat. Ante adhuc trecentos annos ejus sub umbra alarum nobilissima, & opulentissima pars Orbis jacuit. In Caroli V. immanibus ditionibus sol in Horizonte nunquam occidit (ad hæc Carolus V. labia diduxit, & solem respexit) Ex eo, quod decursu temporis ex enormi hac Monarchia decerptum, sena Regna erecta sunt, (hodie mihi, cras tibi, subjunxit Mathias Imperator) & nihilominus seculo nono decimo Majestate pollet, cui ipsa in fugitiva contemplatione exhaustarum virium duo saltem Imperia, tertium nullum, prærogativam in controversiam vocare auderet.

Quis id negabit? — votum est, intimis sensibus conceptum, ardens votum, cultioris humanitatis Europæ, venerandus huic intermedium Status du adhuc ahenei muri instar diu adhuc serviat inter gigantea occidentis & orientis, Imperia Gallias, & Rusiam, dolor si hæc unquam se contingerent, & ruinas agendo, mutuo sibi illaberentur; (ad hæc Minister Choiseul præ gaudio exiit) Equidem septennali bello id intendebam, tres solum Monarchias in Europa! at Borussia? eo loco est, quo eorum precabar).

Graves etiam post vi&mas, quibus Austriae Moarchia pacem 1805 Posonii redemerat, qua geographicam extensionem Ditionum 1109 mill. quad. & plus septima parte incolarum, (utpote 3,401,890) cesserat; retinuit nihilominus ambitum suarum provinciarum, secundum quem, post Russiam & Galliam, primus in Europa Status habetur. Superficies ejus geographica hodie secundum Cl. Bissinger speciales Calculos complectitur 10,880 mill. □ (Gallia contra superficiem exhibet 12,000; Russia Europæa circiter 85000.)

Amplitudinis & spatii satis pro productiva vi energici regiminis, ammissas inferiores & anteriores ditiones, Lombardiam, & Tyrolim in ambitu residui territorii iterum recuperandi — non ense, sed vomere & instrumentis ingeniosæ industriæ; non enim inane solum, & protensi fines, opes, viresque largiuntur, verum lucrum, quo gleba industriam præmiat.

Imperans Austriæ censet hodie plus duobus & viginti millionibus subditorum, at ejus ditiones feraces satis, ut intensa Cultura in omnibus Imperii partibus triginta milliones abunde alimentis provideat.

Verum quidem est: rem haud facilem esse vastam planitiem ad Debrecinum, in ferace solum, desertum juxta Keckemet in visceribus Hungariæ, in prata & agros nutare! leve sabulosum Croatiae solum, fera natura calvarum montium altissimorum a Berchtolgada, Alpium ex Carinthia & Carniolia, Carpathi

densi saltus, humanæ industriæ perpetuo renitentur, at quanta luxuria præponderante non defectum compensat fertilis regio Hungariæ! quæ persæpe divitem Siciliæ agrum æmulator, florida Danubiana vallis, fertilis patria Bucovinæ, lupuli — lanæ — vitri industria Bohemiæ, & Sclavoniæ ager vegetatione feræ densitatis scatens, quæ massam plantarum Tropicalium regionum adæquat.

Populus Austriæ 822 solum urbes incolit (Borussia longe minor, ante Tilsitensem pacem numerabat 1062) in 1920 oppidis, 66273 pagis. In ratione superficiæ Bohemia plurimas numerat urbes; utpote 251. proin ad 3 □ unam; ei accedit Moravia cum 123 urbibus, proin ad 4 □ una; Contra ampla fertilisque Hungaria 59 solum urbes censet, (igitur ad 66 □ unam) manifesto argumento, Hungariam solum terræ productis vacare, culturæ urbanæ adhuc inopem esse, at jamjam genius nobilissimæ Culturæ, & nobilem hanc bellicosam nationem pervadit, & paullopost & hæc industria florebit.

Amicus Augustæ Domus dolebat inprospera bella ab ea gesta; at amicus humani generis in ipso Austriæ infortunio spes meliores reperit; Hæc Monarchia, ut novis viribus enitescat, lucem occidentalis Culturæ inter semiferos partium inferiorum Danubii, & Bugum diffundet, & ex his regionibus novam generationem, plenam Culturæ Europæ, artis & industriæ excitabit. Ergo infanda calamitas populorum, dirimentibus sec. 18 & 19 an-

nis, non prorsus pro humano genere frustra proferebatur. —

Et jam — quis amabo, negabit, votum esse, intimo sensu perceptum, palam editum, votum culti humani generis in Europa: ut venerabilis hic intermedius status diu adhuc indestruibilis paries inter gigantes Imperia, occidentis & orientis, (Galliæ et Russiæ) existat; dolori ingens: si hæc ullo unquam tempore se contigerint, ruinas agendo sibi illapsa fuerint, Oecus veteris honestatis insonuit his votis, et hæc solum optata adumbratione Politicæ nititur certissima ratio pacis, si non perpetuæ, saltim diuturnæ in Europa obtinendæ.

Post hæc manes adibant amplum Conclave lectioni destinatum, in quo in Ephemeridibus sequentia legebant:

Parisiis die 7. Julii. Aliquæ Gallicæ paginæ texunt jam Constitutionem novam Hispaniæ 100 ultra Articulos complectentem. Monitor hodiernus sequentia refert acta Juntæ hispanicæ de 9 Sessione Bajonæ. „Die 27. Junii a meridie Junta consveto loco congregata est, Protocollum prioris Sessionis prælectum, et confirmatum est. Post declarabat Præses: postquam membra Juntæ in conformitate factæ decisionis, scripto adversiones suas, intultu consignati, pro examine, ad dies, Constitutionis Plani porrexissent, denominata ad hoc negotium commissio omni, qua potuit, exactitudine, et cura, excerpta ex iis fecisset, quasvis has animadversiones secundum Articulos, quos concernunt, in Classes redactas es-

se, ut decisioni Juntæ substerni valeant; cum-
 que Domini Deputati ita comparati sint, ut
 secundum habitas jam liberas & luculentas
 discussiones sententiam depromendo sint, pro
 finali decisione harum Animadversionum, hoc
 et sequentibus diebus procedendum esse, ut
 dein, quæ adoptatæ fuerint, Suxæ Cæsareo Re-
 giæ Majestati substerni possint; Cuius de
 Collegio suam opinionem plena cum libertate
 depromendi facultatem dari, vota que feren-
 di rationem, quæ in tam frequenti Conventu
 opportunissima videtur, utpote surgendo, et se-
 dendo observandam, et secundum hanc suf-
 fragiorum numerum computandum fore; por-
 ro: cum in porrectis observationibus quæpi-
 am reperiantur, quæ unice redactionem Ar-
 ticulorum, non vero contextum, aut ei dan-
 dum sensum, respicerent, solum super iis
 sententiam ferendam esse, quæ mutationem,
 aut modificationem, aut interpretationem Ar-
 ticulorum pro objecto haberent; quapropter
 ad decisionem, quantum potest, simplicio-
 rem reddendam, quosvis Articulos, qui de-
 liberationi substernendi digni videbuntur, in
 quæstiones redactos esse; hac Conventione
 stabilita Deliberatio cœpit articulorum seria,
 et usque 6 vespertinam protracta. Conventus
 dein in sequentem diem prolatus est.

Monitor hesternus (de 6. Julio) sequen-
 tia portendit. Ephemerides Parisinæ, et in pro-
 vinciiis Gallico milite occupatis, indulgent licen-
 tiosis maxime rumoribus; est hæc fenebris
 tactica ad animos anxietate, et sollicitudine

replendos. Una earum Berolinensis asseverare ausa: Mareschallum Davoust præmium Cuius Russico profugo addixisse; qui hoc vulgato rumore merito commotus, agendi rationem indicante sentiendi rationibus utriusque Imperii contrariam; aliæ calamitates, quas Moldavia & Valachia perferendas haberent, excessusque quos copiæ Russicæ patrasent, prolixè descripserunt. Tempore quo Russia Interdictum in Anglicas merces renovat, contendunt aliæ: eas Rigæ & Coronæ recipi. Alibi spargitur: Colonicales merces Tergestum adpulisse ab Anglis advectas. Denique impudenter narratur: Naves Americanas in Hispaniam admissas, quod & natura expeditionis earum fuerit. Omnes hi rumores æque falsi sunt. Ephemeridum Curatoribus majore attentione invigilandum esse, ne similia commenta in vulgus spargantur.

Germania.

Ab 7 usque 11. Julii Studtgardam prætervehebantur: Cæs. Gallicus Cursor Parisiis Ulmam &c. Hadgi Mustapha Bej. Cæs. Ottomann. legatus, cum Comitatu Parisiis Constantinopolim C. a Riabinin Cæs. Russ. Status Consiliarius & extra ord. legatus ad aulam Badensem, Carolinam; Piazzoni Gall. Cursor Bucaresto Parisios; Eques a Captiest Petropoli Parisios.

Carolina 10. Julii. Novissimæ regiminis paginæ Nro 20, 21 & 22 tria Decreta continent de 5. hujus 1) intuitu novi ordinis prærogativæ 2) organisationis supremi Collegii ob-

& subjectivo ex respectu, quo Codex Napoleonicus cum exordio 1809 inducitur, æquiforme contributionis, Systema stabilitur, deputatione debitorum, ex ratione bellorum, auctorum, Creditum publicum augetur, & medio representationis provincialis vinculum inter Imp. & subditos firmiter colligatur 3) altiora Dicasteria respiciens.

A u s t r i a .

Vindob. 4. Julii. Cum fine Augusti iterum Comitia Hungariæ celebrabuntur; Imperator cum Coniuge eo se conferet, qua occasione probabiliter hæc inaugurabitur. Iter Imperatoris in Galliciam nondum certum est. Interea optimus princeps emendandæ rei ærariæ vacat, contenditur in Collegio Finantiæ mutationes suscipiendas, quamquam nihil de hoc certi. Constantinopoli refertur: usque 6 Julii Turæ quieti sunt. Induciæ adhuc constant, at pax, quæ tamdiu expectatur, nondum reuocata, quantumvis quivis Cursor publicus id adfirmet propediem. Id notatu dignum: Naves Americanas mercibus colonialibus imperturbate Smyroam merces emendi causa proficisci. Speraturque ex ea parte novum Commerciæ ramum exoriturum.

Pro agricultura & re œconomica in metropolibus Monarchiæ Cathedræ eriguntur; & privata Dominia ad exemplum servitutis œconomias excitare contendunt.